

## Die Urkunden Karls des Großen, 110

Carolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum. Cum nos in dei nomine Sclatistati villa in palacio nostro ad universorum causas audiendum vel recta iudicia terminandum resideremus ibique veniens advocatus sancti Michaelis vel Beati abbatis nomine Odbertus interpellabat homines aliquos nominibus Agiserium et Aldradum advocatos monasterii Corbeie et repetebat ab eis, eo quod ipsi illas res in loco qui dicitur Oistiva et Gefida, quas Immo ad monasterium sancti Michaelis per suum strumentum tradidisset, in eorum potestate iniuste retinuissent, eo quod Gerbirga illas res predictas de monasterio sancti Michaelis malo ordine tulisset. Sed et ipse Agiserius et Aldradus in presenti astabant et de hac causa nullatenus potuerunt denegare nec tradere rationes, per quas ipsas res habere potuissent, sed de presenti ipsas res per loca nominata Oistiva et Gefida per eorum wadium una cum legibus fide facta ipsius advocato sancti Michaelis vel Beati abbatis nomine Odberto visi sunt reddidisse vel revestisse et per illorum festucam exinde in omnibus dixisse exitum. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, hii sunt Widrigo, Odrigo, Theodrico, Bernehardo, Albuino, Aginhardo, Bergario comitibus et Anshelmo comite palatii nostri vel reliquis quam pluribus visi sumus iudicasse, ut, dum ipsi in presenti astabant Agiserius et Aldradus et hanc causam nullatenus poterant denegare nec tradere rationes, per quas ipsas res in eorum loca habere potuissent, sed de presenti per eorum wadia una cum legibus fide facta ipsius advocato sancti Michaelis vel Beati abbatis nomine Odberto visi sunt reddidisse vel revestisse et per eorum festucam sibi in omnibus dixisse exitum. Propterea iubemus, ut, dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognovimus, superius scriptus abba Beatus vel pars monasterii Honogie iam dictas res in loco qui dicitur Oistiva et Gefida contra supradictum Agiserium et Aldradum eorumque heredes vel contra omnes illas res iniuste retinere temptantes omni tempore habeant elidicatas atque evindicatas et sit inter ipsos in postmodum ex hac re omni tempore sopita et definitiva causacio.(C.) Theudegarius recognovit.